

ano papa Rome honorifice susceptus est. Post sanctam vero resurrectionem reversus Paviam, cepit Desiderium regem, deinde Romam veniens constituit ibi synodum cum Adriano papa in patriarchio Lateranis in ecclesia sancti Salvatoris. Que synodus celebrata [est] a CCCL¹ religiosis episcopis et abbatibus. Adrianus autem papa cum universa synodo tradiderunt Karolo ius et potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem. Dignitatem quoque patriarchatus² ei concesserunt. Insuper archiepiscopos, episcopos [per] singulas provincias ab eo investituram accipere diffinivit, et ut nisi a rege laudaretur et investiatur episcopus, a nemine consecraretur; et quicumque contra hoc decretum esset, anathematis vinculo eum innodavit, et nisi resipisceret, bona eius publicari precepit. Anathematizavit quoque in eodem synodo patriarchas Anastasium, Constantinum atque Efficcam et omnes consentaneos eorum.

Et memorandum, quod anno dominice incarnationis secundum ewangelium DCCXCVI, secundum Dyonisium DCCLXXIII. signum in modum crucis rubicundi coloris in celo apparuit post solis occasum³. Eodem anno III. Kl. Septembris corona mirabilis in circuitu solis apparuit⁴. Hic obiit⁵ VII^o Kl. Ianuar.

Agapito successit Iohannes centesimus XXXII. papa post Petrum, de regione Violata, cuius pater erat Albericus princeps Romanorum⁶. Et sciendum, quod anno dominice incarnationis secundum ewangelium DCCCCLXXIX, secundum Dyonisium DCCCCLVII. rex Anglorum Eadwinus, quoniam in commisso regimine insipienter egit, a Mercensibus et Northimbrensibus contemptus relinquitur et suus germanus Eadgarus ab eis rex eligitur, qui mox beatum Dunstanum abbatem cum honore ab exilio revocavit. Ex quo parvo tempore decurso episcopo Wigornensi nomine Cenwleo defuncto, pro quo beatus abbas Dunstanus in episcopatum eligitur et a sancto Odone archiepiscopo Dorobernensi consecratur. Cui etiam rex Eadgarus Londoniensem ecclesiam pastore viduatam commisit regendam⁷. Beatus igitur Dunstanus Londoniensem ecclesiam re-

1) 'CLIII' Ivo. 2) So auch eine Hs. Ivos (Concilia II, 827) statt 'patriciatus'. 3) Aus Florentius a. 774 (S. 58). 4) Dieser Annalen entnommene Satz gehört zum Jahr 806 und ist denn auch richtig nachher bei Leo III. wiederholt (oben S. 655). 5) Aus Marian a. 795 (S. 548). 6) Aus dem Papstkatalog vor Marians Chronik (SS, V, 487). 7) Aus Florentius a. 957 (S. 137).